Nobilissimo viro D. Constantino Hugenio,
Equiti, Zulichemi Domino
C. Barlaeus S.P.D.

ACAD.
LUGD. BAT.
BIBL.

Nobilissime Hugeni,

Decrevi filium in Gallias mittere, ut Druidum lingua loqui discat, sine qua silendum pluribus, praesertim Hagae, ubi Gallorum & Gallizantium plena sunt omnia. Verum de itinere sollicitus sum. nec enim terrestre tutum, ob hostium hinc inde circa limitanea Galliae loca excursiones. nec maritimum, ob Morinos. Quare cuperem illum vehi classe in Angliam, quae Principem Auriacum vehet. Si inseri posset comitatui privati cuiusdam nobilis, qui mensae ipsi ad breve tempus copiam faciat, ego mihi beneficium hoc praestitum interpretarer. Mox, ubi in Angliam appulerit, minore, ni fallor, discrimine, in Galliam trajiciet, ut Aureliam concedat, ibique vel alibi per annum moretur. Nobiliss. Vicofortius hoc se impetraturum sperat apud Rhenii Comitem. Vos cogitare velim, qua ratione mihi et filio consuli possit in re non magni momenti. Multas umbras secum trahet pompa ista nuptialis. quid si inter illas delitescat umbraticus. quanquam et usui esse possit discere cupientibus. Scribit non latine solum, sed pure. Graecae linguae non est imperitus. literas pingit optimo charactere. gallica omnia intelligit. nec alias audit conciones, nisi ista lingua. In iuris studio progressus fecit laudabiles. iis addere est moribus et ea indole, ut quibus convixit hactenus, in sui amorem pellexerit omnes. Non dicam plura, ne a patre videatur profecta commendatio. Nuptias Auriaci Poemate prosequar. Sed nescio, an suaseris illud in Britannicis solemnitatibus exhiberi, an, postquam reversus est Princeps, hic. Indica, si placet, per D. Vicofortium. Proximo die Lunae Homiliam sacram recitabo περὶ Χριστοῦ πάσχοντος. Vale Hugeni praestantissime et filios saluta, ante omnes Constantinum, antiscribam meum. Amstelod. XVIII Mart. CIƆIƆCXLI.

Verte

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 143
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2673

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 143
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2673